



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

IN EPIST. PAULI AD EPHES. 15

tus Christi, ad Rhoma. 8. Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum dei, expectantes redemptionem corporis nostri.

CAPVT V.

IMitatores dei. Hoc exponitur Matth. 5. Vt non solum amicos, sed & inimicos beneficio adficiamus, ut inquit: Sitis filij patris uestri qui in caelis est, qui solem suum &c. Et addit Paulus summum illud charitatis exemplar dicens, quemadmodum & Christus.

Oblationem.

Post hanc unam Christi oblationem, iam non amplius est oblatio pro peccatis. Hæc enim in æternum sanctificat, ut est in epistola, ad Heb. Christus seipsum tradidit. & Pater tradidit eum, ad Rho. 8. Obtulit se & oblatum est, Esaia 53. Quid ergo trepidamus, pro quibus tantum precium persolutum est? Sed hoc agit Paulus, ut charitatē rependamus in fratres, qui tanta charitate & liberati, & filij dei facti sumus.

In odorem bonæ fragrantia.

Adludit ad oblationem, & incensa, quæ olim fiebāt in templo siue in tabernaculo Moysi.

Ne nominetur &c.

Pius enim homo talia non dicit, & neq; libenter au-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

dit. Vide ergo ne & tu pecces in te, & consciãtiã la-
das auditoris, scãdalo ei factus, lege Matth. 12. Ex fru-
ctu arbor cognoscitur.

Gratiarum actio.

Id est, talis sermo unde laudetur deus, non sanctifice-
tur nomẽ eius. Supra: Si q̄s est bonus ad ædificatiõẽ.
Sic infra: Loquentes uobismetipsis per Psalm. &c.

Libidinem, quam detestatur deus, exemplo satis hor-
rendo, sunt diluuium, & interitus Sodomorum.

Auaritiã. Auaritiã autẽ Paulus ferẽ ubiq; scribit idolorũ ser-
uitutem, ut scias ex diametro pugnare cum deo uero.
Vnde Christus: Non potestis deo seruire & mãmonẽ.
Qui enim pecuniã fidit, deo fidere non potest. Vnde 1.
ad Tim. 6. Existimant quæstum pietatem &c.

Ne quisquam uos decipiat.

Hi sunt qui impudice hodie dicunt simplicem fornicã-
tionem non esse peccatũ, quam tamen Paulus damnat
& ob quam uitandam, uult ut quisq; habeat suam uxo-
rem, ut Christus Matth. 19. dicit, deum in hoc institu-
isse ab initio matrimonium, & inseparabili coniunctis
in uinculo, ut essent duo in carne una. Sunt etiam qui
auaritiã defendentes, impijs uerbis derident, aut con-
temnũt pij patris dei curã, prouidentiam, & sollicitu-
dinem erga nos, dicentes: Nisi tu prouideris, quis tibi
prouidebit? Et cum Iuuenale: Nemo unde has habeas

querit, sed oportet habere.

Sed omnia dum produntur &c.

Sicut uobis contigit in salutem, ut uestræ tenebræ uerbo dei detegerentur, ut erubescerent resipisceretis. Sic & ijs qui adhuc in turpibus uiuunt continget in salutem, si ipsis eorum scelera & errores uerbo dei aperiantur, ut suam agnoscentes sceditatē resipiscant. Hoc non fit infamia aliqua, sed uulnere quo mordetur à uerbo dei conscientia auditoris. Sicut habes. 1. Cor. 14. Occulta cordis eius manifesta fiunt &c.

Dicit, scilicet deus. Hoc in scripturis non reperitur, sed more prophetarum uidetur Paulus dicere: dicunt enim, subinde dicit dominus.

Videte igitur.

Non more gentium in tenebris, sed in lumine sapientie dei: id est, ut infra dicitur. Intelligentes quæ sit uoluntas domini, ut eius, nõ uestrã sequamini uoluntatē.

Redimentes occasionem.

Id est, querentes utcumq; potestis temporis opportunitatē ad beneficiendū, & curandū ea quæ Christi sunt, ut quacūq; occasione promoueat rem Christi, & pietatis opus, eo quod dies mali sint: id est, non solū externa persecutiōe pleni, sed multo magis seductiōe & impedimēto pietatis et uerbi Euāgelici. Diabolus enim ab omni parte negociū euāgelicū nititur im-

Dies mali
vsq; periculosi
Dies salutis

ANNOT. IOANNIS POMERANI
pedire. Ita hic Paulus uocauit dies malos, quemadmo-
dum 2. ad Timo. 3. tempora periculosa. Sic quoque in
scripturis adpellantur dies salutis, dies perditionis, di-
es iræ, &c. non propter tēpora, quæ à deo creata bo-
na sunt, sed propter ea, quæ in temporibus illis quibus-
dam hominibus accidunt.

Et ne inebriemini uino.

In quo, id est in qua re, siue in qua uini inebriatione,
ut non referas ad uinum solum: hoc enim esset uinum
creaturam dei bonam condemnare. In quo est luxus,
id est, superfluitas, et nulla necessitas. Hinc leuitas cor-
dis sequitur, stultiloquium, inanes fabulæ, facetiæ, in-
eptæ cantiones, indecora conuersatio, ob quæ ut ma-
xime nihil aliud mali facias, tamen despiceris, despe-
cta autem nostra conuersatione, quis recte sentiet de
nobis? Itaq; hæc res uergit in blasphemiam nominis
Christiani. Et præterea inebriatio te ipsum uertit à
deo. unde monet saluator Luca. 21. Attendite uobis
ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate, &
curis huius uitæ, & superueniet in uos repentina di-
es illa. Sed implemini spiritu. Hoc opponit inebriatio-
ni uini: id est, potius hoc contēdite ad eò, ut ebrij sitis
spiritu: id est adfectu dei, ut sapiant uobis illa quæ sunt
spiritus, ut si conuenitis ad mutuò uos consolandos, col-
latio uestra sit de scripturis sanctis, psalmis, & alijs
dei

IN EPI. PAULI AD EPHES. 17

dei laudibus, ut canatis domino spirituale canticū in
cordibus uestris. Quid quæso dulcius foret conscien-
tiji nostris, quàm sic collocutos fuisse? ut non dicam
quanta promotione uerbi dei hoc fieret, dum sancta
conuersatione non solum nos iuuaremus, sed & mul-
tos prouocaremus ad sanctificandum nomen domini,
quod tales haberet seruos, contra quos ne aduersarius
quidem haberet quod iuste reprehenderet.

Subditi uicissim.

Verum ubique serpens ille antiquus insidiatur, &
quisq; ubi scripturas conferimus. Itemq; in alijs plus
ceteris sapere uult, unde contentiones & dissidia,
quæ Christianam uiolant charitatem, oriuntur. Idcirco Honore inuicem præuenientes.
addit Paulus: subditi uicissim alius alij cum timore
dei, ut quisque timeat deum, & credat fratri. Esto etiam,
quod erret frater, non plus sapiat quàm oportet:
ad Rhom. 12. Honore inuicem præuenientes. Atque
hac occasione, iam subdit de iure prælationis & subdi-
tionis. Primum inter coniuges, deinde inter parentes
& filios, tertio inter dominos & seruos.

Vxores propriis uiris.

Si omnia rhetorum argumenta in unum conijcias,
non tam persuaseris cōiugibus dilectionem mutuam,
quàm hic Paulus. Carnalis homo hæc superuacua iu-
dicat. Sed uide quàm magnificerit Paulus, ut interim

ANNOT. IOANNIS POMERANI

ex unitate coniugum, depingat nobis illam incompre-
hensam unitatem Christi & ecclesie: & charitatem
immensam, qua nos persecutus est Christus: de qua re
lege Lutherum de libertate Christiana. Diabolus nam-
que (qui scortationes promouet, & adulteria amat, cuius doctrina quoque est, ut Paulus ait, ista prohibitio ma-
trimonij, qua stabilitus est cœlibatus clericorum, ut li-
berius libido propagaretur, sicut uidemus) miro inge-
nio conatur, ut separet quos deus coniunxit: semper
enim suis ordinationibus subuertere nititur quod de-
us ordinauit. Et certe iam malo nostro experti sumus,
qua cœcitatatis pœna plectendi sint, qui quæ dei sunt cœ-
temnentes, meliora facere uolunt. Quanto uero dia-
bolus discordiarum semina, etiam inter coniuges semi-
net, qui nullo timore dei tenentur, horror est uel ho-
die intueri, & multe animæ pereunt, dum non est spi-
ritualis homo, qui sancto consilio adiuuet laborantes:
in quo deploranda sunt nostra tempora, quibus etiam
ui prohibemur, ne consilio aliquo subueniatur perituri.
Hinc ob duritiam cordis Iudæorum, olim permisit
Moses libellum repudij, Matth. 19. &c.

CAPVT VI.

Honora dicit, non solum dilige. Honor enim habet timorem annexum, quemadmodum supra dixit, uxor autem ut reueretur uirum. Vult enim ut

i. *trino: 7*